





SCHEEL

DE CORPORIS JURIS CIVILIS PRINCI -
PIIS OECONOMICS

1867





J. DE SCHEEL

DE CORPORIS JURIS CIVILIS PRINCIPIIS OECONOMICIS.

DE CORPORIS JURIS CIVILIS PRINCIPIIS OECONOMICIS.

DISSERTATIO INAUGURALIS
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN ACADEMIA FRIDERICIANA
CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA
PRO VENIA LEGENDI
RITE IMPETRANDA
DIE VIII. M. MAJI A. MDCCCLXVII.
HORA XI. MAT.
UNA CUM THESIBUS
PUBLICE DEFENDET AUCTOR

JOANNES DE SCHEEL
JURIS UTRIUSQUE ET PHILOSOPHIAE DOCTOR.

SOCIUS RESPONDENS ERIT: **M. KINDLER**, CAND. PHIL.
ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:
R. SCHELLER, DR. MED.
R. HILDEBRAND, DR. PHIL.
J. COMES DE BUELOW, STUD. JUR.

HALIS SAXONUM.
MDCCCLXVII.

JULY 15 - 1932

PRAEFATIO.

Cum quidem pro impetranda venia docendi in Philosophorum ordine Universitatis literarum Halensis „De manupretio" dissertationem composuerim quae Germanica lingua scripta a facultate summa approbata est, tamen quae ex more Universitatis vetere in linguam Latinam conversa prelo mandaretur et in disputatione publica defenderetur haec „De corporis juris civilis principiis oeconomicis" commentatio magis apta mihi visa est. Quis, quaeso, est, quin sciat, res quae ad oeconomiam politicam attinent Latina lingua non sine magna difficultate tractari, quoniam illae notiones generales quae nostris diebus in quotidiano hominum usu sunt, apud Romanos non inveniantur. Maximae autem et paene insuperabiles difficultates occurrunt iis qui rationes oeconomicas nonnisi recentissimo tempore excultas (e. g. de manupretio et operariorum conditione) Latine tractare conantur. Ideo ut legis voluntati verbisque obtemperem hanc de ipsa Ro-

mana oeconomia commentationem meam in Latinam linguam transtuli; quae Germanica lingua scripta cum commentariis et notis uberioribus extat in B. Hildebrandi „Jahrbücher für Nationalökonomie und Statistik. Band VI Heft 5 (1866) S. 324 ff."

Dabam Halis Saxonum Cal. Apr. a. CIƆIƆCCCLXVII.

JOANNES DE SCHEEL.

Hodiernas res oeconomicas et quae iis insunt principia non nisi ex iis quae fuerunt historice contemplandis recte ac probe percipi intelligi excoli cum cognoscamus, magis magisque eo ducimur ut praeteritorum temporum oeconomiam politicam perscrutemur. Quorum quidem maximi momenti sunt Romanorum res oeconomicae, quoniam jure civili Romano recepto nostrae institutiones multo modo et haud raro extra modum perfusae sunt Romanorum rationibus institutionibusque.

Viri clarissimi Gibbon, Mengotti, Dureau de Malle, Mommsen, Becker-Marquardt, Kuhn, alii qui Romanorum rebus oeconomicis perquirendis operam dederunt, iam ita eas ante oculos nostros posuerunt, ut quamvis imperfectam in singulis rebus, tamen promptam et perspicuam in universum teneamus Romanorum oeconomiae scientiam. Inde cognoscitur, Romanorum oeconomiam ad culturam summam et maxime singularem eo tempore pervenisse, quo populus Romanus non solum gladii et juris imperio orbis terrarum nationes regebat, sed etiam vigor ejus oeconomicus subjectarum in gentium oeconomia et industria positus erat; quo non in militari solum sed in oeconomica etiam ditione populi Romani exterae

nationes erant. Ex primo igitur et secundo post liberae rei publicae interitum saeculo copia sumenda est disquirendi de Romanorum principiis oeconomicis; quae quidem et ex ipsis rebus et ex literarum monumentis videntur eruenda.

Notum est, oeconomiae publicae doctrinam, qualis est ex moderna vocabuli significatione, apud Romanos non inveniri. Quod eo explicatur, quod Romanae rei publicae societatisque disciplina et temperatio valde discrepuit ab hodierna. Romanorum vita ante civilibus, deinde humanis rationibus coercebatur, rei publicae ratio prae privatae societatis ratione praevalebat. Homo quidem Romanus rei publicae caussa creatus, non res publica hominum caussa constituta esse videbatur. Vitam etiam oeconomicam civilis ratio ex omni parte amplectebatur; et ita civilium quidem et politicarum sed minus oeconomicarum rerum scientia exculta est. Accedit quod ipsa vita oeconomica singulari quodam modo constituta erat. Oeconomia universa per servos exercebatur; ex servitudine quidem pendet domestica industria. Ideo ea quae principium est et fundamentum hodiernae scientiae oeconomicae, ratio, quae inter pecuniosos homines et operarios, inter sortem et operam (ut universalibus notionibus „Kapital und Arbeit“ utamur) constituitur, in publicas res et publica negotia minus intrabat itaque a scientia politica et discussione publica magis remota est. Ita cum deesset propriae scientiae oeconomicae quasi fundamentum reliquarum commercii rationum disquisitio inter juris et politices scientiam distributa est. Haec erant scientiae genera in quibus maxime Romanorum animi versabantur,

atque illa perlustrare debemus Romanae oeconomiae cognoscendae caussa.

Quae quidem scientiae genera non ad hodiernum modum inter se erant disjuncta; itaque in amplo illo et gravi Romanorum opere, Corpore juris civilis et civilium et politicarum neque minus oeconomicarum rerum explicandarum copia nobis praebetur. Hoc in libro ex illa de qua quaerimus aetate, primis nostri aevi saeculis, virorum doctorum, qui de rebus publicis scripserunt, opiniones sententiasque quasi coacervatas reperimus. Illic Ulpiani, Pauli, Gaii, ceterorum illius aetatis doctorum fragmenta copiam praebent disquirendi de Romanorum principiis oeconomicis, quin etiam praeter Ciceronis libros illa fragmenta unicum prope et optimum praebent disquisitionis fundamentum, cum vix extent aliae literae ad nostrum propositum utiles.

Ideo complures nostri temporis scriptores et e Ciceronis libris et e Corpore juris civilis Romanorum principia oeconomica colligere et commentationibus ante oculos nostros ponere conati sunt.

Cum quidem vir clarissimus J. B. Say et alii viri docti contenderent, nullas apud Romanos oeconomiae politicae notiones inveniri, J. G. Tydeman in „Disquisitione de oeconomiae politicae notionibus in Corpore juris civilis Justinianei. Lugduni Batavorum 1838“ probare studuit, omnes fere quibus hodie utamur notiones oeconomicas notas fuisse Romanis. Ut ex ipso Corpore juris civilis disquisitionis materiam sumeret, non eo adductus est, quod illum librum fundamentum disquisitionis opti-

mum esse cognorat, sed cum ipse esset Ictus in promptu habuit librum illum atque putavit, si modo ex Corpore juris quae voluit probanda essent, id magis ex aliis libris fieri posse. Itaque Tydemanus e Corpore juris quasi institutiones oeconomiae politicae Romanae colligere atque componere conatur. Omittit quidem hanc rem gravissimam: collecta ex Corpore juris fragmenta e variis esse aetatibus et a scriptoribus sentiendi scribendique valde diversas rationes secutis. Nam cum illi de quibus nos quaerimus Icti primi et secundi nostri aevi saeculi antiquam et ut ita dicam vere Romanam rationem sequantur, posteriorum imperatorum constitutiones et Ictorum sententiae inde a Diocletiano ad canonicam rationem magis se inclinant. Atque hoc quidem Tydemanum fugit, saepe ac valde inter se discrepare doctorum opiniones. Tamen vir subtilissimus multo cum labore, magna cum lectionis varietate, parva autem cum arte critica ex illis fragmentis oeconomiae publicae quasi systema construxit et Romanorum oeconomiam ad viri clarissimi J. B. Say rationem accommodavit. Quo in conatu omnino aliquam si rationem secutus est Tydemanus, putasse videtur, eadem principia oeconomica omnibus inesse et aetatibus et nationibus; certe autem et probe principia illa explanata esse in opusculo illo notissimo J. B. Sayi ita inscripto: Traité d'Economie politique; Romanos vero sapientia tantum et doctrina ita caruisse ut veram principiorum formulam non reperissent. Reperta autem illa formula per virum doctissimum J. B. Say Tydemanus facere non potuit quin ex Corpore juris civilis Latinum catechismum

oeconomiae politicae (J. B. Say, Catechisme de l'Economie politique) construeret atque id perficeret quod omiserat ignorantia Romanorum.

Neque id, quod Romanae oeconomiae hodiernas immiscuit notiones, non vituperandum est apud Dankwardtum[1]), cuius liber hic nobis non attingendus est, quoniam ille jus Romanum in oeconomico fundamento construere conatur, nos vero ex ipso jure vel Ictorum scriptis Romanorum principia oeconomica eruere studeamus.

Nec minus imperfecta nobis videtur B. G. Hermanni „Dissertatio exhibens sententias Romanorum ad oeconomiam universam sive nationalem pertinentes. Erlangae 1823“[2]). Hic praecipue e Ciceronis, Livii et Plinii scriptis disquisitionis materiam sumit; qui quidem scriptores quod ad scribendi tempus attinet non ita sunt diversi, ut eorum opiniones conjungi non possent; tamen parum apte nobis videtur Hermannus varios scriptorum quorum quisque aliam scribendi rationem secutus est locos ita conserere et consociare ut hodiernas notiones e Romanorum oeconomia exhibeat. Ex sententiis philosophicis et rhetoricis Ciceronis atque e Livii et Plinii levioribus annotationibus principia oeconomica colligere si conamur, quin aut plane falsam aut valde ambiguam cognitionem acquiramus, fieri non potest. Ideo ex Hermanni dissertatione nihil cognoscimus nisi nomina pecuniae, pretii,

---

1) Nationalökonomie und Jurisprudenz. 1—3. H. Rostock 1857. 58. Nationalökonomisch-civilistische Studien. Leipzig 1862.

2) v. d. Calkoen, Over eenige Staatshuiskundige gevoelens en stellingen in de geschriften der ouden etc. 1831.

mercis, usurae Romanis haud ignota fuisse. Quin etiam scriptor noster tam parvam opusculo suo componendo navavit operam, ut ex universis Ictorum Romanorum scriptis illum solum notissimum Pauli locum L. 1 Dig. de contr. emt. 18, 1 afferret.

Neque quae fuerit propria Romanorum oeconomia, Hermannus nos docet; neque omnino ejus disquisitio vere critica aut historica appellari potest.

Anquirentibus principia oeconomica cujuslibet populi tenenda sunt haecce: primum examinandum est quomodo principia nata sint ex ipsis rebus; tum ita eligenda et secernenda est materia ut nulla adhibeatur nisi e qua vere et populi et aetatis ingenium cognoscatur; deinde eae solum scriptorum opiniones recipiendae, quarum constantia ex ipsis rebus probetur.

Perscrutantes igitur Romanorum principia oeconomica qualia primo et secundo nostri aevi saeculo fuerint primum quaerimus quae fuerit propria Romanae oeconomiae ratio et quae ex ea pendeant principia; deinde ex illius aetatis scriptoribus eos deligemus qui in Corpus juris civilis recepti sunt, et ex illis quas supra demonstravimus caussis et ex ea, quia propter eorum auctoritatem publicam non singulorum hominum sed totius quasi nationis iudicia sententiasque apud illos reperire videamur; tum Ictorum opiniones non nisi ex ipsa rerum ratione probatas in censum vocabimus[3]).

---

3) De Romanoram principiis oeconomicis in universum quaestiones instituerunt: Mommsen in variis locis historiae Romanae. Blanqui, Histoire d'Economie politique. Deutsche Ausgabe

Est proprium illi aetati oeconomiae Romanae quod nulla inerat Romanis productionis et industriae vis; quo effectum est ut imperio et ditione, qua orbis terrarum gentibus imperabant, ita uterentur, ut ex aliena productione et industria vigorem oeconomicum perciperent.

Propria Romanorum virtus oeconomica praecipue deleta et extincta est servitute. Qua institutione ipsi cives liberi labore liberati res civiles et militares ante omnes colebant. Ipse labor in populi contemtum venit. Servorum autem industria domo coercita; itaque conjunctio, temperatio, aemulatio operariorum impedita. Servorum opera viliore pretio emta liberorum hominum industria depressa. Multorum hominum operae sub unius domini potestate congregatae. Maxima pecuniarum vis; — impari et dissono modo bona inter societatis ordines distributa. Proletaria turba nutrita largitionibus; largitiones auctae privatorum sumptibus; nec non vis industriae subruta singulorum immunitatibus ab omnibus paene vectigalibus.

Talis erat illo tempore societatis Romanae conditio. Singularis sane et paene mirabilis nobis videretur largitionum et immunitatum copia. Quae quidem ex interna

1840. I. p. 70 sq. Kautz, Die geschichtliche Entwicklung der Nationalökonomik. Wien 1860. p. 143 sq. Jhering, Geist des römischen Rechts. Leipzig 1852. II, 1. p. 242 sq. Endemann, Die natök. Grundsätze der kanonistischen Lehre in Hildebrand's Jahrbüchern für Natök. u. Stat. I, 1—3, 5—6. (1864) passim. Rodbertus, Untersuchungen auf dem Gebiet der Nationalökonomie des klassischen Alterthums. Hildebrand's Jahrbücher II. p. 206—267; IV. p. 341—427; V. 135—171. 241—315.

et externa rei publicae conditione non solum facile explicantur; sed dubitari non potest quin optime essent conditae in toto Romanae societatis ingenio atque cultura. Cum secundum rationem antiquam civis totum se dare debeat rei publicae, ratio naturalis docet, civem a re publica vitae praesidium et sustentationem poscere posse. Privatae quidem largitiones non illam habebant vim; institutae sunt a privatis auctoritatis suae publicae augendae caussa, qua ad divitias recuperandas augendasque utebantur. Apparet vero et largitiones et immunitates maximi fuisse momenti in oeconomia Romana, nec non multum contulisse ad productionis et industriae vim delendam, quoniam civium, immunitate et largitionibus fruentium, vitae ex coeli natura facili nullus afferebatur stimulus industriae.

Quae res internae ex altera parte maximi erant momenti in constituenda rei publicae externa conditione. Servorum industria et oeconomia ipsis civibus spatium et opportunitas fit rerum civilium et bellicarum gerendarum; homines minus pecuniosi et proletarii qui servorum industria non fruuntur rebus ipsis ad belli negotia adducuntur. Sic fieri non potuit quin Romanorum ingenium militare excoleretur. Itaque exterae gentes in Romanorum politicam potestatem videntur redactae; Romani in exterarum gentium ditionem oeconomicam.

Romani aliena productione et industria vario modo usi sunt. Aut hostibus in servitudinem redactis ipsa fruebantur nationis alienae industria viribusque aut rei publicae opes tributis e provinciis redactis augebantur;

aut divitiae a magistratibus eorumque turba juste et injuste in provinciis collectae Romam portabantur; aut vectigalium redemtionibus, feneraticiis negotiis divitiae parabiles colligebantur.

Servorum subvectione imminuta imminutis bellis aut ipsarum mercium aut auri et argenti subvectione Romanorum oeconomia alebatur. Auri et argenti longe maximam fuisse subvectionis partem e rerum natura apparet.

Ita auri et argenti copia ex alienis gentibus redacta quasi fundamentum extitit oeconomiae Romanae; nam maxima metalli copia, parva ipsarum mercium a Romanis productarum. Romani ipsis mercibus egentes; illae cum aliis gentibus permutandae sunt. Ita in commercio ex Romanorum parte aurum et argentum, ex aliarum gentium parte ipsae merces praebentur. Sic illa oeconomia constituitur Romanis propria, quam oeconomicam pecuniariam Romanam (Römische Geldwirthschaft) hodie vocamus[4].

Ideo pecuniae nomen in oeconomia Romana singularem habet vim maximique est momenti in constituendis caeteris principiis oeconomicis.

Illo de quo quaerimus tempore Romani quatuor per saecula in pecuniaria oeconomia iam versantur; nummus legalis est aureus; quae res negotiorum commerciique amplitudinem demonstrat. Nummorum introductio Romanis scriptoribus non, ut est, paullatim e rebus ipsis nata, sed prudens quasi hominum inventio visa. Sic Pau-

4) v. Scheel, Der Begriff des Geldes in seiner historisch-oeconomischen Entwicklung in Hildebrand's Jahrbb. VI. 1. p. 19. sq. (1866.)

lus illo loco notissimo multisque commentationibus praedito: „Electa," inquit, „materia est cuius publica ac perpetua aestimatio difficultatibus permutationum aequalitate quantitatis subveniret" [5]). Ictos cum e legum formulis introductionem nummorum cognoscerent, rem ita interpretari facile intelligitur. Qualia sint nummorum commoda e reliquis Pauli verbis discimus: „eaque materia forma publica percussa usum dominiumque non tam ex substantia praebet quam ex quantitate". Pecunia igitur quantitas nummorum; nummorum autem utilitas in perficiendis permutationibus Romanis posita esse videbatur; nummis intervenientibus permutatio in duas, mercis et pretii praestationes separatur et proprium fit negotium, sc. emtionis venditionis. Emendi potestatem unam eandemque undique inesse nummis ait Gaius [6]). Pecunia igitur instrumentum permutationum publicum et generale; ideo communis mercium mensura: nec in foro alia quam pecuniae mensura accipi potest [7]). Ita pecunia singularis quaedam merx, sed aliis mercibus in eo aequalis quod varia sunt pecuniae pretia per singulas civitates et variis temporibus [8]). Non tamquam doctores canonici solum „valorem extrinsecum" in pecunia Romani spectant; non

5) Paulus L. 1. Dig. de contr. emt. 18, 1. Optimus in hunc locum commentarius apud P. Neri, Osservazioni sopra il preggio legale delle monete. Raccolta Custodi. Parte antica VI, p. 325 sq.

6) L. 1 §. 1, lc.; Gaius L. 3 Dig. de eo quod certo loco 13, 4.

7) Ulpian. L. 2 Dig. 18, 1. Paulus L. 1 pr. de rer. permut. 19, 4. Ulpian. L. 9 §. 2 Dig. de statut. 40, 7 etc.

8) Gaius L. 3 Dig. 13, 14.

ad legis arbitrium valorem definire conantur — quod fieri non potuit, quoniam aurum et argentum externi commercii fundamentum et merx paene unica a Romanis exportata erat.

Sic Romanorum notio pecuniae proxima hodiernae. Oeconomiae vero ratio cum longe aliena sit ab hodierna non eandem esse pecuniae notionem probatur. Simillimam quidem vim habuit pecunia in ea oeconomia pecuniaria quae mercantilis ratio vocatur. Sed illic etiam pecunia non nisi productionis instrumentum fuit, singularem quidem accepit utilitatem et auctoritatem quia industriae, quae priori tempore in terrae cultura magis versabatur, valde auxit mobilitatem et efficacitatem. Romae vero pecunia non ita productionis, sed solae permutationis instrumentum; nam merces vel bona non productionis sed pecuniae vi parata Romanis videntur, quoniam ipsorum, ut supra demonstravimus, minima erat industria, maxima auri et argenti copia. Cum nos quidem in bonis operae vim quasi concorporatam videamus, Romani nihil nisi pecuniae quantitatem in bonis spectant. Ita pecuniam non vice mercium sed mercium quasi substantiam censent. Ideo pecunia non angusta illa nummorum vel pecuniae numeratae notione coercetur sed majorem et magis universalem vim accipit; quod Hermogenianus sic exprimit: pecuniae notione non solum numerata pecunia sed omnes res tam solae quam mobiles et tam corpora quam jura continentur“ [9]).

9) Hermogenianus L. 222 Dig. de V. S. 50, 16. Ulpianus C. 178 D. eod. Paulus L. 5 Dig. eod. Proculus L. 4 eod.

Sic bonorum oeconomica virtus „pecuniae" nomine significatur; „aestimationis" autem notio adhibetur, si ad hominum existimationem et usum bona referuntur[10]). Et pecuniae et aestimationis notio est universalis; latior quidem aestimationis, quae et ad bona et ad homines refertur. Una et altera notione ea tantum bona significantur quae in hominum oeconomiam intrant et pecunia numerata aestimantur. Res omnium communes, res sacrae sanctae religiosae neque in pecunia sunt nec aestimationem recipiunt[11]). Accuratius bonorum virtus oeconomica non circumscripta. Utilitatis et usus nomina ad oeconomiam publicam non pertinent[12]).

Ideo Romani abhorrent et a canonicorum doctorum opinione qui nihil nisi materiam in bonis spectant, et ab hodierna doctrina quae ample ac subtiliter valoris notionem explanat. Cum ab illis materia, a nobis valor in bonis intelligatur: apud Romanos propria bonorum vis in pecunia posita.

Sunt fortasse qui dicant non populi Romani sed Ictorum opiniones nos demonstrare. Sed hoc ipso loco probatur, ex ipsis legibus cognosci quae in universum illius aetatis homines senserint. Vide sis exemplum: illius de qua quaerimus aetatis leges rerum pretium ementium et vendentium libero concursu constitui iubent; ideo non

---

10) Florentinus L. 4 §. 1 Dig. de usufr. et quamadmod. 7, 1. Pomponius L. 26 §. 2 Dig. de leg. I. 30.

11) Modestinus L. 6 pr. Dig. 18, 1. Ulpianus L. 9 §. 5 Dig. de de divis. rer. 1, 8.

12) „Valoris" verbo apud antiquos non „der Werth" significari, notum est.

materiam sed pecuniam in rebus spectant[13]) — haud idem faciunt posterioris temporis doctores vel leges, quae ad canonicam rationem magis inclinant; illi de pretio constituendo certas regulas afferunt, e. g. de laesione enormi et ultra dimidium — ideo in bonis vendendis materiae habent rationem[14]).

In nostra oeconomia, cum libera sit industria, bona circumagantur celerrime, pecuniae permutentur frequentissime, ita in commercium publicum bona intrant, ut eorum virtus oeconomica in ipso commercio vario modo excolatur et productionis processus ante oculos nostros veniat. Sic nobis Fit opportunitas de variis bonorum viribus oeconomicis disquirendi. Aliter res se habuit apud Romanos. Romanorum industria parva; omnes paene merces cum alienis gentibus auro et argento permutantur; tum servorum industria domestica effectum, ut bona non productionis sed solum permutationis caussa in commercium intrarent; quam rem Rodbertus sic illustrat: „die Grundbesitzer, welche durch ihre Sclaven die Rohproduktionsarbeiten vornehmen liessen, bewirkten auch gleich selbst durch andere Sclaven an dem Rohprodukt die Fabrikationsarbeiten, ja bei denjenigen Produkten, die überhaupt von ihnen in den Handel gebracht wurden, auch die Transportarbeiten, so dass also das Nationalprodukt im Laufe seines ganzen produktiven Prozesses niemals den Besitzer wechselte“[15]). Sic productionis pro-

13) Paulus C. 22 §. 3 Dig. locati 19, 2.
14) Diocletianus et Maximianus L. 2 cod. de resc. vend. 4, 44.
15) Rodbertus l. c. IV p. 343.

cessus privatae oeconomiae circulo coercetur; industriae vis a publico commercio recedit; iterum iterumque ad solam permutationem, i. e. pecuniam Romanorum animi reducuntur. Sic bonorum et valoris notio ad pecuniam reducitur.

Scilicet talis oeconomiae ratio maximi momenti fuit in constituenda ea notione oeconomica, quam hodie „Kapital" vocamus.

Sunt quidem eius rei et notionis elementa ubi bona plura producuntur et coacervantur, quam quae tempore praesenti consumuntur, quomodo vero excolatur illa notio ex eo pendet, quod de boni (Gut) et valoris notionibus homines sentiunt.

In primo quidem oeconomiae statu qui terra et terrae fructibus praecipue nititur, ea coacervantur bona quae ad vitam ipsam sustentandam idonea sunt; ideo, oeconomice si loquamur, consumtionis materia coacervatur; tum pecuniaria oeconomia magis exculta, non iam ipsa merx sed pecunia coacervatur, i. e. permutationis materia; deinde si ad altiorem culturae gradum oeconomia perducta est, si industria efficacior, fides amplior, rerum et hominum virtus oeconomica fecundior, non iam res quae consumantur, pecuniae quae permutentur, sed eius rei caussa coacervantur bona ut valor eorum oeconomicus ad summum gradum excolatur, i. e. coacervatur productionis materia. Sic in variis oeconomiae gradibus vel consumtionis vel permutationis vel productionis notionem homines bona accumulantes magis spectant; sic primum ipsius materiae, deinde pecuniae, tum valoris

universalis variis oeconomiae formis magis excolitur. Quo in gradu Romanorum oeconomia versetur iam supra demonstravimus.

Romani quidem in re familiari duas partes distinguunt: „familiam“ et „pecuniam“. Familiae notione ea pars rei familiaris significatur quae in servis constat; pecuniae nomine quae in rebus [16]).

Hodie quidem naturalis ratio docet hominem in bonis et fructibus non esse; nec non apud Romanos singularem quendam locum familiae notio tenet. Servi enim, e quibus constat familia, non sunt in fructibus, sed e servis fructus percipiuntur, nempe operae servorum [17]).

Sic servi in bonis, operae servorum in bonis et fructibus sunt patris familiae vel domini; nec minus in bonis et fructibus illa sunt bona quae servorum operis producuntur. Ideo industria qua bona parantur in eodem loco versatur quo bona producta; opera („Arbeit“) in eodem loco est quo terrae fructus („Rente“); servus in eodem quo terra, ideo „opera“ in oeconomia Romana non eandem vim habet singularem quam apud nos „die Arbeit“. Quo efficitur ut illae quae nostrae doctrinae oeconomicae quasi fundamenta videntur quaestiones de pecuniae et industriae ratione („Kapital und Arbeit“) institutae, non inveniantur apud Romanos et ut in eorum oeconomia omnes eae notiones non excolantur quae ex

16) Gaius, Inst. II §. 104. Ulpianus L. 195 Dig. de V. S. 50, 16.
17) Gaius L. 28 §. 1 Dig. De Usur. et fruct. 22, 1. Ulpianus L. 27 Dig. de hered pet. 5, 3. Gaius L. 4 Dig. De oper. serv. 7, 7. L. 3 Dig. eod.

illa ratione pendent. „Es gab," inquit Rodbertus, „weil es den Gegensatz von persönlichem und sachlichem Vermögen nicht gab, auch nicht den von Lohn und Rente; weil es in dem sachlichen Vermögen nicht den Gegensatz von Grund- und Kapitalbesitz gab, auch nicht den von Grundrente und Kapitalgewinn; endlich weil sich Kapitalbesitz und Kapitalunternehmung nicht geschieden hatten, auch nicht den auf einer billigen und regelmässigen Theilung beruhenden Gegensatz unseres heutigen Zinses und Unternehmungsgewinns"[18]).

Ideo Romana oeconomia non tam varias commercii, rei familiaris, bonorum formas praebet, quam hodierna.

Amplas autem illas res familiares in quibus sub unius domini potestate familia et pecunia, operarii et bona continebantur, Rodbertus haud inconcinne nomine „Oikenvermögen" significat. Quae res familiares ut mobiliores fierent et e privata oeconomia in publicam intrare possent duobus praecipue modis effectum est: aut e familia aut e bonis particulae ut ita dicam sejungebantur et in publicum commercium intrabant. Sic una e parte „peculium", altera e parte „sors" nascitur. Peculium in ea consistit pecunia quae servo negotiorum gerendorum caussa datur; sors in ea, quae in alieno negotio collocatur.

Maximi est et singularis momenti peculii nomen. Peculio quidem non solum domini pecunia mobilior et efficacior reddita, sed etiam servi industria illis vinculis liberatur quibus domestica opera coercebatur; quin

18) Rodbertus l. c. p. 345.

peculio servus paullatim ad coloni et glebae adscripti conditionem adducitur. Deinde vero notio peculii ea de caussa est gravissima, quod proxima est illi quam hodie „umlaufendes Kapital“ vocamus.

In peculio res esse possunt omnes quae in re familiari; et solae et mobiles: peculium consistit ex eo „quod parsimonia sua quis paravit“; paratur peculium ut alia bona oeconomica eo producantur [19]). Sic, ut Romani peculium, fere hodie nomen „Kapital“ definiamus.

Sane peculii institutio multum attulit ad oeconomiam Romanam nostrae similem efficiendam; nam non nisi peculio fieri potuit, ut familia pecuniaque (Oikenvermögen) in publicae oeconomiae circulum intraret.

De „sorte“ quid Romani senserint, ex illis quae supra de pecuniae nomine attulimus facile intelligitur. Apparet et a canonica vel medii aevi et ab hodierna opinione alienam esse quam apud eos invenimus sortis notionem. Cum quidem doctores canonici in sorte nihil nisi nummos ipsos mutuatos spectent, industriae et productionis vi plane omissa; cum nos quidem, non de nummis sed de valore pecuniae in universum quaerentes sortis vim frugiferam cognoscamus, Romani pecuniae solam vim in sorte spectant. Quid vero de pecuniae vi senserint supra satis demonstratum est.

Itaque, cum non nummorum acervus sed pecunia in sorte adsit, ususfructus etiam nominum statuitur; nec

---

19) Ulpianus L. 7 §. 4 Dig. de pec. 15, 1. Florentinus L. 39 Dig. eod. Marcianus L. 40 Dig. eod. Celsus L. 37 §. 1 Dig. de leg. et fid. 32.

non usuras ex ea percipi naturaliter concessum; nec minus sortis pretium libero ementium et vendentium vel mutuantium hominum concursu constitui[20]) — quae omnia negant doctores Canonici. Tamen, quoniam industriae vim in pecunia non intellexerunt Romani, non ita ex oeconomica quasi sortis virtute usurae quasi profluere videntur ut eadem quae hodie de sorte et usuris doctrina apud Romanos inveniatur, et opinio omni e parte sibi constans apud eos exculta sit. Hinc usurae poenales, fenus legitimum, et illud principium: usuras nisi in stipulationem deductas non deberi[21]).

Ex iis quae iam de sortis notione et de universa Romanorum oeconomia et principiis eorum oeconomicis attulimus etiam quae fuerit „crediti" [22]) vis facile cognoscitur. Etiamsi probatum nobis sit, Romae institutiones aliquas fuisse, quae quasi principia vel elementa eius oeconomiae rationis quam hodie „Creditwirthschaft" vocamus videantur, etiamsi e. g. cambia in commercio Romanorum fuissent vel tabulae argentariorum et nummulariorum eam quam nostrae

20) Gaius L. 25 Dig. de usufr. ear. rer. 7, 5. Ulpianus L. 3 Dig. eod. L. 5 eod. L. 1 eod. Ulpianus L. 34 Dig. de Usur. 22, 1. Gaius L. 3 Dig. l. c. 13, 4. L. 7 §. 10 Dig. de adm. et perictu. 26, 7.

21) Pomponius L. 121 Dig. de V. S. 50, 16. Papinianus L. 62 pr. Dig. de rei vind. 6, 1. Paulus L. 17 §. 3 Dig. l. c. 22, 1. Ulpian L. 26 §. 1 Dig. de cond. ind. 12, 6. Africanus L. 24 Dig. de praesc. verb. 19, 5.

22) De Credito apud. Romanos: Endemann, l. c. §. 11. Endemann, Der Credit als Gegenstand der Rechtsgeschäfte in Goldschmidt, Zeitschrift für das gesammte Handelsrecht. Bd. 4 S. 35. (1861) Endemann, Handelsrecht §. 137.

„Girobanken“ vim habuissent vel tesserae quasi syngraphae in quemvis possessorem conceptae, vel partes publicanorum id quod nos dicimus „Actien“ fuissent, tamen illas oeconomiae rationes apud Romanos non excultas esse constat. Creditum enim tum demum oeconomiae quasi fundamentum existere potest, quando virtus oeconomica hominum et bonorum vario et amplissimo modo exculta, industria libera, commercium actuosum totam oeconomiae publicae rationem perfudit, et illa etiam fides ad usum et virtutem oeconomicum adhibetur, quae in ipsa hominis persona posita est. Quae omnia Romae non invenimus; quorum neque in oeconomia ipsa neque in principiis oeconomicis industria vel opera („Arbeit“) tantam habuit vim ut oeconomiae quasi fundamentum constituere posset[23]).

Iam gravissimas Romanorum oeconomiae publicae notiones[24]) perlustravimus et una tantum dominii reliqua est, de qua pauca afferamus, quantum ad oeconomiae doctrinam pertinet. Hanc etiam notionem singulari quodam et proprio modo excultam esse si propriam Romanae societatis conditionem consideramus apparet. Romanorum territorium non industriae sed belli vi acquisitum; cives Romani non propria sed aliorum gen-

---

23) Quid de industria Romani senserint neque dubium neque non ab aliis explanatum v. e. g. Jhering. l. c. II. p. 251. Prorsus falsam opinionem affert Kautz l. c. p. 152.

24) Quas hodie appellamus: Geld, Gut, Werth, Kapital, Zins, Arbeit aliae, ut demonstravimus non inveniuntur, e. g. Rente, Lohn, Unternehmergewinn. („Arbeitslohn“ = operae servorum = fructus servorum.)

tium industria alebantur; oeconomia Romanorum non ad exemplum hodiernae multis variisque liberae industriae et commercii formis composita: divitiae praeda magis quam industriae fructus videbantur; industria servili et domestica bona non ita in publicum commercium intrabant, ut productionis et industriae instrumenta viderentur quae omnia in constituenda dominii notione magni momenti esse facile intelligitur. Ideo Romani „maxime sua esse credebant quae ex hostibus cepissent“ [24]), ideo in percipiendis fructibus magis corporis jus ex quo percipiuntur quam seminis ex quo oriuntur adspicitur [25]), ideo non variae, quae apud Germanos, sed una tantum dominii forma invenitur; ideo dominium magis Ictorum subtilitate quam vitae et oeconomiae rationibus excolitur, et civilis magis quam societatis ratio intervenit — nam talis est in universum Romanae rei publicae ratio ut singulorum jus magis e civitate profluere quam in ipsa persona et industria hominis posita esse videatur — atque civis Romani dominium et libertas e republica legumque arbitrio pendet, cum Germanorum res publica ex eo constituatur quod jura hominibus singulis innata angustioribus finibus circumscribuntur.

24) Gaii Inst. IV, 16.

25) Julianus L. 25 §. 1 Dig. de Usur. 22, 1. Paulus L. 12 §. 3 Dig. ad exhib. 10, 4. — ex altera parte contemplanda ea quae Germanorum oeconomiae inest ratio. Sachsenspiegel II. 58 §. 2, III. 76 §. 3. — Nec in „specificatione“ ratio oeconomica intelligitur; v. Fitting, Archiv f. civ. Praxis 1865. Bd. 48 H. 2 S. 188.

Quae accuratius explanare non oeconomicae sed civilis doctrinae est. Quomodo oeconomica Romanorum principia contemplanda sint demonstravimus, nec non tales disquisitiones utilitatem aliquam afferre putamus non oeconomicae solum scientiae, quae propria principia diligentius circumscribat, sed etiam jurisprudentiae, quae quomodo in excolendo jure Romana a modernis principiis sejungantur, melius cognoscat.

THESES.

I.

Statistica non methodus sed scientia habenda.

II.

E vita media (vie moyenne) virtus oeconomica nationis non cognoscitur.

III.

Feminas publicis officiis fungi non utilitatem sed damnum affert oeconomiae publicae.

IV.

Usurae legitimae etiam rusticis credita petentibus sunt damnosae.


V.

Viae ferreae non in privatorum sed in publica administratione esse debent.

VITA.

Parentes sunt Adolphus de Scheel, regis Borussorum a consiliis regni et Matilda filia Comitis de Buelow rei publicae Borussorum ministri. Natus Posnaniae die XXIX. mens. Dec. a. h. s. XXXIX. nomina accepi Friderici Guilelmi Joannis. Eruditionis elementis institutus Scholam Portensem et Gymnasium Hirschbergense frequentavi. Academicorum studiorum maturitatem nactus a. LX in regio exercitu stipendia merui, tam Halis, Jenae, Berolini juris et cameralium studiis operam dedi. Juris utriusque doctoris gradum Halis a. LXIV, philosophiae Jenae a. LXVI impetravi. Statistices studium in Thuringarum civitatum conjunctarum. tabulario exercui. Jam auctoritate Ill. Ordinis Philosophorum in Universitate Literarum Halensi oeconomiam publicam et statisticam traditurus sum.

Typis F. Maukii Jenensis.


Printed in Germany



